






3 2044 107 265 662

Tar
B63.



FACVLTATIS MEDICAE

IN ACADEMIA VITTEBERGENSI

H. T.

D E C A N V S

D. GEORGIVS RVDOLPHVS

B O E H M E R V S

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIOR

PHYSICVS PROVINC. SOCIETAT. OECON.

LIPSIENS. SODALIS

P A N E G Y R I N M E D I C A M

DIE XXIII. MENSIS IVLII MDCCCLXXX

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

I N D I C I T

E T


GENERALA PLANTARVM IN TABVLIS SYNOPTICIS

D I S P O N E N D A

COMMENDAT.

Aug 1911

248 07



Ingens Vegetabilium, huc usque inuentorum et imposterum
certe inueniendorum, numerus omnino desiderat, ut illa
in ordinem redigantur, et, ut CAESALPINVS iam monuit,
velut castrorum acies distribuantur in suas classes. Nil enim,
vere scripsit LINNAEVS in Praef. ad Plant. Classes, pulchrius,
nil magis utile et necessarium in botanicis inuentum est, quam
systematica plantarum methodus, quae ignarum, in vasto vege-
tabilium regno constitutum, recta dicit ad desideratam plan-
tam eiusque nomen. Verum nihil quoque difficilius est, quam
eiusmodi sistema condere, quod omni ex parte perfectum et
disquirendis plantis aptissimum esset. Licet enim in quo-
libet plantae in classes ordinesque varios distribuantur, diui-
siones tamen plerumque nimis ampliae sunt plurimaque gene-
ra comprehendunt, ut hinc non nisi per ambages, nec sine
multorum generum disquisitione instituta, illud inueniri pos-
sit, quod quidem quaeritur. Eiusmodi classificationem faci-



lem disquarentibus viam monstrare, LINNAEVS quidem contendit et libr. cit. scripsit: Methodicus euoluit clauem methodi, quo facto, (ponamus 10000 specierum plantas dari:) 900 plantas seponit, intra quas frustra plantam oblatam quaereret, adeoque restant 1000, inter quas haec vnicula erit; euoluit dein classem, et inquirit, ad quem ordinem pertineat, eo dato, 900 iterum seponit, ut modo 100 restent, in ordine genus inquirit, quo reperto, vna ex decem erit. Certe si in eiusmodi systematica disquisitione decemmodo superessent genera, ad quodnam ignota planta pertineat, non adeo difficile esset inueniendum; sunt autem in multis classibus, ordinibusque, quocunque systema admittamus, longe plura genera contenta, et hinc taediosior omnino requiritur labor, antequam illud vnicum inueniatur. Sic e. gr. in noua Generum Linn. editione, ab Ill. SCHREBERO euulgata, in Monandriis monogyniis 15. Diandriis monogyniis 37. Tetrandriis monog. 80. Pentandriis monog. circiter 200 et in digynis 75 numerantur genera. Hanc difficultatem bene cognouit Ill. MVRAY et propterea in vtraque Syst. Vegetab. Linn. editione non nullarum, ampliorum in primis, classium ac ordinum subdivisio nes instituit, maximo certe disquarentium commodo, e. gr. Diandriae monog. ita collocantur 1) quarum flores inferi monopet. regulares. 2) Fl. inferi monopet. irregulares et fructus capsularis. 3) Fl. inferi monopet. irreg. fr. gymnospermus. 4) Fl. inferi tetrapetali. 5) Fl. inferi pentapetali. 6) Fl. superi. Sic etiam Tetrandriae monog. 1) Fl. monopet. monospermi inferi, 2) Fl. monopet. monosp. superi. 3) Fl. monocarpi inferi. 4) Fl. monopet. monoc. superi. 5) Fl. monopet. dicocci inferi. 6) Fl. monop. dicocci superi. 7) Fl. monopet. tetracocci inferi. 8) Fl. tetrapet. inferi. 9) Fl. tetrapet. superi. 10) Fl. incompleti inferi. 11) Fl. incompl. superi. Hexandr. monogr. alio distribuuntur charactere scil. 1) flore calycula-

lyculato, calyce corollaque instructo. 2) Fl. spathaceo s. glumaceo. 3) Fl. nudo. 4) Fl. incompleto. Didynamiae sunt: A monopetalae 1) gymnosp. a) calyce subquinquefido, b) labiato. 2) angiosp. a) calyce hiante, b) bifido, c) trifido, d) quadrifido, e) quinquefido, f) multifido. B) Polypetalae. Has aliasque ordinum subdiuisiones retinuit quoque Cl. REICHARDVS in Syst. Plantar. deberentque omnino ab omnibus imitari, cum his ipsis disquisitio plantarum egregie facilitetur.

Longe maius autem commodum redundabit in botanicos, si et has Linnaeani, vel alias systematis subdiuisiones iterum iterumque separentur, in tabulas synopticas collocentur genera-que, in qualibet subdiuisione contenta, vno alteroque charac-tere, quasi proprio, determinentur. Verum, an sufficiant eiusmodi characteres, quasi in compendio notati, pauciores, saepe etiam singulares, ad definiendum plantae genus, dubium videri posset, praecipue, cum LINNAEVS vnicam generi im-positam notam, qua scilicet vnum a reliquis, sub eodem or-dine contentis, generibus distinguitur, pro charactere factitio venditet eumque, cum per dichotomias, seu tabulas synopti-cas instituatur, intellectu facillimum esse quidem, concedat, verum etiam addat: Sane si vlla vnquam dubia mouerentur de classe et ordine et omnia in rerum natura existentia genera detecta essent, reliquis facilior foret, quae cum detecta nou-sint, nec esse possint, fallit et fallitur; cum alioquin genus ali-quod detegetur nouum, fallaces euadunt proximi charac-teres; e contrario vero de characteribus, a se ipso datis, et quos appellavit naturales, asseruit: Si vel mille detegerentur noua Genera, non vnicam notam, eam ob causam, generi naturali proximo vel addere, vel auferre, necesse est. Vid. Praefat. ad Genera pl. Quod quidem lubenter concedimus, attamen mutatio characterum vel non semper necessaria erit, vel facile in-



stituti poterit, etiam si noua, genere a cognitis diuersa, planta prioribus insinuari debeat. Certe notae generum characteristicae non sine necessitate multiplicandae, nec plures, quam quidem opus est, ad genus determinandum coaceruandae, ne disquisitio oneretur, et pro notis characteristicis descriptiones plantarum adferre videamur. Atque in hac re iterum laudare et commendare debemus ill. MVRRAY studium, quod REICHARDVS, aliqui secuti fuerunt, qui scilicet characteres paucos, ad distinctionem autem sufficientes, hinc quasi essentiales modo adduxerit. Exemplo sint Pentandr. monog. flor. monopetalo infero tetraspermo, quae sequenti modo a se inuisum distinguuntur:

Echium Cor.	fauce nuda,	irregularis,	campanulata.
Heliotropium	— —	hypocraterif.	lobis dente interiectis.
Pulmonaria	— —	infundibulif.	calice prismatico.
Lithospermum	—	infundibulif.	calice 5 partito.
Onosma	— —		ventricosa.
Symphytum Cor.	fauce dentata		ventricosa
Borrago	— —	—	rotata.
Lycopsis Cor.	fauce fornicata	infundibulif.	tubo curuato.
Asperugo	— —	infund.	fr. compresso.
Cynoglossum	— —	infund.	semin. depresso latere affixis.
Anchusa	— —	inf.	tubo basi prismatico.
Myosotis	— —	hypocrat.	lobis emarginatis.

Nonne hac ratione, breuiori ac facilitiori, ast sufficienti, et certa via ad genus accedimus, cum quo planta, nouiter inventa, vel tanquam species, conuenit, vel proxime ad aliud accedit, et interponi debet? Quo plures enim in flore ac fru-

Et uero inueniuntur characteres, quibus genera, in classe ac ordine coniuncta, vel inter se conueniunt, vel differunt, eo pauciores requiruntur notae, quibus a se iuuicem distingui possunt. Viginti sex eiusmodi notas recensuit LINNAEVS in Praef. generum, scilicet *Calycis* 1. inuolucrum, 2. spatha, 3. perianthium, 4. amentum, 5. gluma, 6. calyptra. *Corollae*, 7. tubus s. vngues, 8. limbū, 9. nectarium *Staminum* 10. filamenta, 11. antherae *Pistilli*, 12. germen, 13. stylus, 14. stigma *Pericarpii*, 15. capsula, 16. siliqua, 17. legumen, 18. nux, 19. drupa, 20. bacca, 21. pomum *Semen*, 22. eiusque 23. corona *Receptaculi*, 24. fructificationis, 25. floris, 26. fructus. Et si nunc porro perpendimus, haec omnia attributa quintuplici iterum modo, numero, figura, situ, nexu ac proportione differentiam admittere, certe non difficile erit, characteres generi definiendo sufficietes inuenire, et cuilibet quasi proprios tribuere, eosdemque in modum tabulae synopticae ordinare.

Notandum vero adhuc, partium harum proprietates in diversis speciebus non semper inter se conuenire, et propterea notam illius generis, immo aliquando classis characteristicam non ostendere, secundum quam in dispositione tabulari genus locum obtinuit. Haec autem difficultas dupli modo evitari poterit. Vel enim ex speciebus discrepantibus, et charactere cum reliquis non conuenientibus, noua formentur genera, vel in ea nominentur classe atque ordine, in quo notari debeat, et ita cuilibet plantae assignetur locus, in quo facile reperi queat. Ad prius, quod spectat, aequo omnino illi peccant, qui eas permiscent plantas, quae distinguendae erant, ac illi, qui in contrarium separant, quae coniungendae sunt. Multiplicatio autem generum multo magis, ut nobis videtur, evitanda, quam eorum imminutio, atque hinc conseruari ac imitari debet LINNAEI consilium, qui multas, ab Antecessoribus tanquam genera



nera descriptas, plantas pro speciebus modo assumfit, licet vna vel altera nota a se inuicem differant. Certe nisi hoc porro obseruetur, in infinitum tandem excrescere debet generum atque nominum numerus; Propterea etiam Ill. SCHREBERVS in noua Gener. Linn. editione non sequi voluit nonnullorum recentissimorum botanicorum morem, qui in ampliorum generum constitutione LINNAEVM taxarunt, sed potius Praefat. p. 8 scripsit: in corrigendo parcus sui, et circumspectus, quae-dam tamen genera in aliud locum transferre, quaedam, sed pauca, diuidere vel coniungere, visum est necessarium. Alter itaque modus attendendus erit scilicet: quae charactere classico differunt, et tamen non commode a reliquis speciebus separari possunt plantae, eo adducantur et nominentur loco, ad quem charactere diuerso, ast huic speciei proprio, pertineant. Praestit hoc, et propterea maximum applausum promeruit Ill. MVRRAY et post Eum Cl. REICHARDVS, qui in Systemate Linnaeano staminum numero diuersas species leorsim nominarunt ea in classe, in qua genus ipsum locum obtinere non potuit. E. gr. Inter diandrias adducitur Bignonia Catalpa, Valeriana cornucopiae, inter tetrandrias Valeriana sibirica, Swertia corniculata, Euonymus europaeus; inter pentandr. digynias Staphylaea pinnata, Rhamnus Ziziphus et f. p. Plurima alia exempla notauit et collegit Cl. ROTHE im Verzeichniss der Pflanzen, welche nicht in den gehörigen Klassen des Linn. Syst. stehen. Et sic quoque in aliis methodis genera, quorum species charactere non conueniunt, maximo disquarentium comodo, in tabulis synopticis notari, omnesque difficultates evitari poterunt.

Dabimus proxima occasione Schemata quadam eiusmodi Tabularum, ratione generum, vti nuper de speciebus fecimus, nunc enim cum hac commendatione aliam debemus coniunge-re atque laudare

VIRVM NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM
 GOTTLIEB EBERHARDVM KOHLHEMIUM
 ZITTAVIA LVSATVM

Qui Ipse de vita et studiis haec nobis exhibuit:

Ego GOTTLIEB EBERHARDVS KOHLHEMIUS natus sum Zittaviae die XXVIII. Mens. Martii anno MDCCXLVII. Patre IOANNE GOTTLIEB, Sutore, Matre vero ANNA IOANNA, e gente SCHRAMMIA. Qui vero optimi parentes iamdudum teneri aetate proh dolor! per mortem mihi erepti sunt. Officia vero parentum post obitum Eorum, Patruelis meus nunc b. CAROLVS GODOFREDVS SCHOLZIUS, Electoralis Saxonicae Accise generalis Revisor primarius Zittaviae rite expleuit. Prima autem sanctissimae nostrae religionis principia a priuatis praceptoribus mihi tradebantur, deinde in Gymnasio, quod Zittaviae floret, et cui tunc temporis RICHTERVS praeerat, in numerum discentium receptus, et Huius et aliorum Praeceptorum, nunc pie defunctorum, institutione usus fui. Relicta hac schola Anno MDCCCLXIII. pharmaciae studium elegi, eiusque principia ab Experientissimo D. ACCOLVTHO accepi. Tunc autem Plauiae Varisc. apud D. STRVVIVM, Pirnae apud Clariss. HOFFMANNVM, cuius singulari amicitia uti mihi contigit, Zittaviae apud D. KNISPELIVM, tandem Wittebergae apud D. THOMAE Provisoris, ut aiunt partes, tenui. Deinde in hanc ipsam literarum Uni-



ueritatem, scientiae medicae addiscendae causa, me contuli, et a Rectore
tunc temporis Magnifico, Iurium Consultissimo, D. PAULI, numero
studiosorum adscriptus fui. Quo facto Summe Venerabilem D. REIN-
HARDVM Logicam et Philosophiam docentem, Excell. Prof. TITIVM
Physicam theoreticam et practicam tradentem audiui, porro Praelectio-
nibus Osteologiae et aliarum Anatomes partium, Botanices, Physiolo-
giae, et speciatim Angiologiae atque Herniologiae Experientiss. D.
NVERNBERGERI interfui. Pathologiam, Chirurgiam, Chemiam,
Medicinam forensem, nec non Artem formulas medicas praescribendi
Experientiss. D. LEONHARDI me docuit, uti et Eius disputatoriis et
exinatoriis exercitationibus interesse mihi licuit; Experientiss. D.
BOEHMERVS Therapiam generalem, nec non Medicinam clinicam mihi
tradidit. Ex ore Experientiss. D. LANGGVTHII Historiam naturalem
et Materiam medicam percepi. Quorum optimorum atque in aeternum
venerandorum Patronorum atque Praeceptorum singularem fauorem et
benignitatem per omnem, dum viua[n], vitam gratissima mente apud me
recolam. Tunc examine, vt aiunt, pro Candidatura, superato in nu-
merum Medicinae Candidatorum receptus fui. Non reticenda tamen
erit Serenissimi Principis Electoris Saxonici indulgentia, qua factum est,
vt stipendium quoddam, quod vulgo procuratorium dicitur, acciperem;
quam gratiam deuotissima mente omnem per vitam venerabor. Nec
Vniuersitatis huius literariae munificentia a me silentio praetereunda est,
qua in Electorali Conuidorii beneficio Vateriano per duos annos gratis

vſus

usus fui, pro qua beneficentia gratias ago habeoque maximas. Amplissimus etiam Senatus Zittauiensis me stipendio quodam exornauit; id quod gratissima mente semper agnoscam. Relicta hac Academia Bernsteinium, oppidum prope Zittauiam, me contuli ibique per unum et quod excurrit annum, Praxin medicam exercui, postea vero ex itinere quodam necessario redux Zittauiam iterum petii, et ibidem per semestre spatium Medici practici munere functus fui. Tandem iterum Wittebergam adii et a Gratioso Medicorum Ordine petii, ut me ad summos in Arte salutari honores, rite obtinendos, admitteret.

Addamus his, Clar. Candidatum non modo in examine, ante quatuor annos instituto, sed etiam in Tentamine his diebus repetito ad propositas quaestiones optime respondisse, dignumque inuentum fuisse summis in medicina Honoribus suscipiendis. Ut itaque praemia laborum legitime capesseret, decretum est, ut meo sub Praesidio Dissertationem inauguralem de Plantis Segeti infestis die XXIII. Mens. Iulii publice defendere. Ad quem solennem Actum Rectorem Academiae Magnificum, Illustrissimos Comites, Perillustres Barones, Academiae Proceres, Fautores et Ciues officiosissime inuitamus.

P. P. Dom. VII. post Fest. Trinit. MD C CLXXX.

